

TIT. XL.—DE VERROR. SIGNIFICAT.—IN SEXTO.

79. Decretalis Nicol. III. relata in cap. *Exiit qui seminat* 3. fulminantis §. *Itaque* excommunicationem ipso facto incurrendam Papæ reservatam, aliasque pœnas contra Glossantes hanc eandem decretalem, moderata est à Joan. XXII. cap. *Quia nonnunquam* hoc eod. tit. dictas pœnas suspendente usque ad Sedis Apostolicæ beneplacitum.

ELENCHUS II.

Decretalium correctarum a Sacro Concilio Tridentino, partim abrogatione, partim derogatione, partim moderatione, servato ordine titularum ac capitulorum in unoquoque libro.

LIBER QUARTUS.

TIT. I.—DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIIS.

134. Decretalis Conc. Triburien. relata in cap. *De Francia* 1. statuentis matrimonium solo consensu contrahi, abrogata est sess. 24. cap. 1. de refor. matrim. §. *Qui aliter* nullum illud declarante, si aliter, quam præsentem Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius aut Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus contrahatur.

135. Decretalis Alex. III. relata in cap. *Ad audientiam* 4. extendentis impedimentum publicæ honestatis ortum ex sponsalibus contractis cum consanguinea usque ad quartum gradum, moderata est cit. session. 24. cap. 3. illud extendente ad primum tantum, si sponsalia valida sint: declarante insuper nullum oriri impedimentum, si quacumque ratione nulla sint. Ortum verò ex matrimonio tantum rato extenditur usque ad quartum ex Constit. S. Pii V. *Ad Romanum* an. 1568.

136. Decretalis ejusdem relata in cap. *Sponsam* 8. idem impedimentum statuens, moderata est ut suprâ.

137. Decretalis ejusdem relata in cap. *Veniens* 15. statuentis sponsalia de futuro transire in matrimonium per carnalem copulam subsequutam, abrogata est ut suprâ n. 134.

138. Decretalis Greg. IX. relata in cap. *Is qui* 30. idem statuentis, abrogata est ut suprâ.

139. Decretalis ejusdem relata in cap. *Adole scens* 32. statuentis invalidum matrimonium ex copula intentata et non sequuta, ac ex contrario sensu validum, si sequuta sit, abrogata est ut suprâ.

IN SEXTO.

140. Decretalis Bonif. VIII. relata in cap. unic. *Ex sponsalibus* statuentis ex sponsalibus de futuro etiam nullis (dummodò non fuerint nulla ex defectu consensus) oriri impedimentum publicæ honestatis, et matrimonium dirimere usque ad quartum gradum inclusivè, abrogata est, ut suprâ n. 135.

TIT. III.—DE CLANDESTIN. DESPONSAT.

141. Decretalis Conc. Arelaten. relata in cap. *Si quis* 1. validum

decerentis matrimonium clandestinum, dummodò probari possit fuisse contractum, abrogata est, ut suprà n. 131.

142. Decretalis Alex. III. relata in cap. *Quod nobis* 2. idem decerentis, abrogata est ut suprà.

TIT. VI.—QUI CLERICI, VEL VOVENT. MATRIM. CONTRAHERE POSSINT.

143. Decretalis ejusdem relata in cap. *Consuluit* 4. statuentis susceptionem habitus professorum extrà claustra recepti à non habente potestatem incorporandi religioni dirimere in dubio matrimonium contrahendum, sed non contractum; et fortius ex contrario sensu, si suscipiatur ab habente potestatem itidem extra claustra, abrogata est ut suprà n. 97.

TIT. IX.—DE CONJUGIO SERVORUM.

144. Decretali Innoc. III. relata in cap. *Ad nostram* 4. tribuentis facultatem Legato de latere cognoscendi in sua Provincia, et definiendi causas matrimoniales, et separandi matrimonium in casibus à jure permissis, derogatum est sess. 20. de refor. ipsis hoc prohibente §. *Legati quoque*.

TIT. XI.—DE COGNATIONE SPIRITUALI.

145. Decretalis Alex. III. relata in cap. *Utrum* 1. statuentis filios duorum compatrum natos sive ante, sive post compaternitatem contractam non posse ad invicem copulari, ubi hæc viget consuetudo in vim Can. 5. *post susceptum* 30. q. 3., abrogata est sess. 24. cap. 2. de reform. matrimonii, restringente cognationem spiritualem ortam tam ex baptismo, quàm ex confirmatione, tantùm inter patrum et ipsum baptizatum aut confirmatum, et baptizati aut confirmati patrem et matrem: item inter baptizantem aut confirmantem, et baptizatum aut confirmatum, baptizatique aut confirmati parentes.

146. Decretalis ejusdem relata in cap. *Super eo* 3. idem statuentis, tam respectu matrimonii contrahendi, quàm contracti, abrogata est ut suprà.

147. Decretalis Clem. III. relata in cap. *Martinus* 4. statuentis inter patrem baptizati, et uxorem patris prius ab eo cognitam contrahi compaternitatem efficacem ad matrimonium dirimendum, abrogata est ut suprà.

148. Decretalis ejusdem relata in cap. *Contracto* 5. statuentis compaternitatem contrahi per catechismum in baptismo, et impedire matrimonium contrahendum, abrogata est ut suprà.

149. Decretalis Innoc. III. relata in cap. *Tua nos* 7. statuentis filios duorum compatrum ortos ante compaternitatem contractam inter compatres vel commatres parentum suorum, contrahere cognationem spiritualem dirimentem inter ipsos matrimonium tam contractum, quàm contrahendum, et scientem hujusmodi impedimentum teneri illud Ecclesie denunciare, abrogata est ut suprà.

150. Decretalis Greg. X. relata in cap. *Ex litteris* 8. statuentis inter baptizatum, et filium baptizantis oriri cognationem spiritualem impediendam et dirimentem matrimonium inter ipsos contrahendum, abrogata est ut suprà.

IN SEXTO.

152. Decretalis Bonif. VIII. relata in cap. *Ne dum* 1. statuentis cognationem spiritualem propter susceptionem infantis in baptismo, et confirmatione contrahi etiam inter baptizatum et filios, ac uxorem suscipientis, abrogata est ut suprà.

152. Decretalis ejusdem relata in cap. *Per catechismum* 2. statuentis ut suprà n. 148. abrogata est, ut ibi.

153. Decretalis ejusdem relata in cap. *Quamvis* 3. statuentis per unum tantùm patrum suscipi posse infantem in baptismo et confirmatione; et si plures suscipiant, omnes contrahere cognationem, derogatum est sess. 24. cap. 2. de refor. matrim. declarante per duos ad summum suscipi posse, quorum unus sit vir, et alter fœmina: et si plures suscipiant præter designatos nullam contrahere cognationem.

TIT. III.—DE EO, QUI COGNOVIT etc.

Circa cap. *Si quis* 1. hujus tit., vide notata Elencho l. n. 22.

TIT. XVII.—QUI FILII SINT LEGITIMI.

154. Decretalis Innoc. III. relata in cap. *Per tuas* 12. statuentis filium natum ex sponsa de futuro esse legitimum, licet matrimonium in facie Ecclesie nunquam sit publicatum, abrogata est ut suprà n. 134.

LIBER QUINTUS.

TIT. I.—DE ACCUSATIONIBUS etc.

155. Decretalis ejusdem relata in cap. *Sicut olim* 25. præcipientis Concilium provinciale, et synodum diocesanum fieri debere singulis annis, moderata est sess. 24. cap. 3. de refor. quoad Concilium provinciale, statuente hoc faciendum esse singulis trienniis.

TIT. III.—DE SIMONIA.

156. Decretali Alex. III. relata in c. *Etsi* 18. declaranti ordinationem non esse simoniacam, si aliquid donatum fuerit non ex pacto, derogatum est sess. 21. c. 1. de refor. prohibente, ne pro collatione quorumcumque ordinum, et etiam clericalis tonsuræ aliquid accipiat, licet spontè oblatum. Prohibente insuper sess. 24. c. 18. examinatoribus synodalibus sub vitio simoniæ quidquam recipere etiam spontè oblatum, sive ante, sive post, occasione examinis. Nota, quòd quamvis Trident. hic loquatur de solo examine præficiendorum Ecclesiis parochialibus, intelligi tamen debet etiam de examine ordinando-

rum, confessoriorum, ceterorumque præficiendorum præbendis Theologiae et Penitentiariae: et Romæ ab Examinatoribus apostolicis præstatur juramentum coràm Eminentissimo Vicario statim ac ad hoc munus deputantur ab eodem Vicario, facto tamen priùs verbo cum Pontifice de eorum deputatione, nedum de fideliter hujusmodi munere exercendo respectu quorumcumque examinandorum, sed etiam de nihil omninò recipiendo, licèt minimum, tam ante, quàm post examen.

157. Decretali Innoc. III. relatæ in cap. *Ad apostolicam* 42. permittenti aliquid accipi posse pro Sacramentorum collatione juxtà pias consuetudines, quas præcipit observari, derogatum est, quoad collationem Ordinis ut suprà n. 156.

TIT. V.—DE MAGISTRIS.

158. Decretali Innoc. III. relatæ in c. *Quia nonnullis* 4. decernentis inter cetera magistrum grammatices in cathedrali vel collegiata Ecclesia eligendum esse ab Episcopo de consensu Capituli, moderata est sess. 5. cap. 1. de reform. statuente eligendum fuisse de consilio tantum.

159. Eidem Decretali statuenti magistro theologiae eligendo in Ecclesiis metropolitanis assignandos esse proventus unius præbendæ, ità tamen ut non efficiatur canonicus, sed tandiù eos percipiat, quamdiù perstiterit in docendo, videtur derogatum esse cit. cap. 1. vers. *In Ecclesiis* præcipiente ut ubi nulla præbenda aut præstimonium seu stipendium deputatum reperitur, præbenda quomodocumque primo vacatura, non tamen per resignationem, ad usum lectoris theologiae ipso facto perpetuò constituta et deputata intelligatur: et ità canonicus efficitur.

160. Eadem Decretalis præcipiens constituendos esse duos magistros in Ecclesia metropolitana, unum theologiae, alterum grammatices, moderata est loc. cit. mandante in qualibet Ecclesia, seu metropolitana, seu cathedrali, seu collegiata etiam nullius diocesis, si sint loca insignia vel populosa, solùm constitui theologum cum assignatione præbendæ primo vacaturæ. Et si earundem Ecclesiarum proventus fuerint tenues, vel multitudo cleri et populi sit tam exigua, ut theologi electio commodè fieri nequeat, tunc mandatur, ut saltèm sit magister grammatices: et sic in defectum theologi tantum.

161. Decretali Honorii III. relatæ in cap. *Super specula* 5. statuentis docentes theologiam, eique studentes in publicis scholis posse in absentia per quinquennium percipere integros fructus suarum præbendarum et beneficiorum, moderata est sess. 21. cap. 3. de reform. quando redditus omnes consistunt in distributionibus, cum tunc ex pluribus decretis Cong. Conc. relatis à Fagnan. cit. cap. *Licet* unum. 97 et seqq. tam dicti lectores, et studentes, sive logant theologiam, sive jus canonicum, et respectivè studeant, quàm absentes pro servitio Episcopi vel Ecclesiæ percipere debent duas tertias earundem distri-

butionum partes, utpotè subrogatas in locum fructuum præbendæ, si isti aut nulli sint, aut admodum tenues, ommissa tertia inservientibus accrescenda; ut in hujusmodi Indultis semper servat eadem Congreg. juxtà generale decretum Innocentii XII. promulgatum in ejus Bullario. Hujusmodi Indulto ex pluribus pariter ejusdem Congreg. decretis relatis à Fagn. cit. cap. *Super specula* frui possunt etiam publici Lectores, si legant in civitate, in cujus cathedrali sitæ sunt illorum præbendæ.

TIT. VII.—DE HÆRETICIS.—IN SEXTO.

162. Decretali Greg. IX. relatæ in cap. *Quoniam* 1. decernentis deveniri posse ad degradationem, præsentibus, etiam laicis, ampliata est sess. 23. cap. 4. de reformat. ut infrà n. 175.

163. Decretali Clem. IV. relatæ in cap. *Ut officium* 11. admittenti §. *Compescendi* Prædicatores quæstuarios; derogatum est, ut infrà num. 167.

TIT. XVII.—DE RAPTORIBUS:

164. Decretali Innoc. III. relatæ in cap. *Accedens* 7. declaranti validum matrimonium contractum cum raptore, si adsit consensus raptæ, derogatum est sess. 24. c. 6. de reform. matrim. illud nullum decernente, quamdiù rapta manserit in potestate raptoris.

TIT. XXXI.—DE EXCESSIBUS PRELAT.

165. Decretali ejusdem relatæ in c. *Accedentibus* 12. statuenti jus cognoscendi causas matrimoniales acquiri posse nedum ex speciali privilegio, sed etiam ex alia legitima causa, id est ex consuetudine vel præscriptione, ut exponit Gloss. final. et Innoc. hic, derogatum est sess. 24. c. 20. de reform. hanc consuetudinem abrogante. Quæ tamen teneret si esset immemorabilis, ut declaravit Cong. Conc. teste Fagn. hoc eod. c. n. 6.

IN SEXTO.

166. Decretali Bonifacii VIII. relatæ in c. *unic. Cum ex co* statuentis ut infrà n. 176 moderata est, ut ibi.

TIT. XXXIII.—DE PRIVILEGIIS.

167. Decretali Innoc. III. relatæ in cap. *Tuarum* 11. permittenti quæstoires elemosynarum cum prædicationis officio, derogatum est sess. 21. c. 9. de reform. præcipiente eorumdem nomen, et usum ubique abolendum. Nequeunt tamen regulares mendicantes prohiberi ab Episcopo, ut cum licentia suorum superiorum eidem ostendenda per se ipsos elemosynas quærant; intra diocesim, ubi eorum monasteria sita sunt. Extra diocesim verò requiritur etiam consensus Diocesanis.

168. Decretali Honorii III. relatæ in cap. in his 30. statuentis privilegiatos posse ubique celebrare in altari viatico, etiam sine licentia

Prælatorum, abrogata est sess. 22. in decr. de obser. et vitan. in celeb. miss. Quo Trid. decreto sublata est etiam Episcopis facultas, quam habebant ex dispositione can. *Missarum* 12. de consecrat. dist. 1. indulgendi, ut missæ sacrificium celebrari possit in privatis domibus De hac facultate, et altari viatico vide Additiones meas lib. III. tit. XLI. n. 370.

IN SEXTO.

169. Decretali Alex. IV. relatæ in cap. *Abbatibus* 3. juncta Glos. verb. *Tonsuram* facultatem danti Abbatibus conferendi tonsuram et ordines minores, ac dimissorias concedendi sæcularibus, in quos habent ecclesiasticam, et quasi episcopalem jurisdictionem, vel ex Sedis apostolicæ indulto, derogatum est sess. 23. c. 10. de reform. statuente, ne Abbatibus aut aliis quibuscumque quantumvis exemptis liceat imposterum intra finem alicujus diœc. existentibus (etiãsi nullius diœc., vel exempti esse dicantur) quibuscumque qui regulares subditi sibi non sint, tonsuram vel minores ordines conferre: nec iidem Abbates, alique exempti, aut collegia vel capitula quæcumque etiam cathedralium, litteras dimissorias aliquibus Clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur concedant: sed hæc omnia ad Episcopos intra quorum diœcesis fines iidem existunt, pertineant; non obstante quocumque privilegio, præscriptione aut consuetudine etiam immemorabili.

Vi hujus decreti nequeunt Abbates cujuscumque sint generis, habentes plenam jurisdictionem episcopalem, in clerum et populum cum territorio separato, ac nullius etiam diœcesis existentes, concedere dictas dimissorias, secluso privilegio apostolico post Tridentinum specialiter obtento, juxta constantem Cong. Conc. sententiam, ut ex pluribus ejusdem resolutionibus relatis à Fagn. in cap. *Significasti* de officio Archid. n. 12. et seqq. ac in Thesaur. Resolut. in Nullius, seu Britinorien. 21. Januarii 1719. et novissimè à Benedict. XIV. de Synodo diœces. edict. an. 1755 lib. 2. cap. 2. n. 15. et seqq.

Neque itidem initiare possunt prima tonsura, minoribusque Ordinibus sibi non subditos tam sæculares cum specialibus dimissorialibus suorum Episcoporum, quàm Regulares alieni Ordinis, ad illos expressè missos ab eorundem ordinandorum Superioribus de consensu Episcopi diœcesani, ut olim fieri posse censuit Cong. Conc. 11 Julii 1572, prout ex lib. 1. litterarum ejusdem Cong. pag. 450. et mense Augusti 1586 lib. 4. dec. pag. 171. juxta posteriorem ipsius resolutionem 13 Nov. 1641 approbatam ab Urb. VIII. ad tramites decisionis Rotæ 995. coràm Seraphino, à qua jussu Clem. VIII. 27 April. 1592 hæc quæstio ad trutinam revocata fuerat, ut videre est in syn. diœc. loc. cit. n. 12.

Concedere tamen possunt et debent litteras testimoniales, sive commendatitias; quæ quidem diversæ sunt à litteris dimissoriis. Regulares verò eas tantum concedere possunt suis subditis itidem regularibus, soli Episcopo diœcesano dirigendas, ut ex cit. sess. 23. cap. 8., nisi in casu, de quo in nostro Auctore lib. 1. tit. 11. n. 15. Vide Fagn. cit. c. *Significasti*.

IN CLEMENTIN.

160. Decretalis Clem. V. relatæ in c. *Religiosi* 1. infligentis pœnam excommunicationis ipso facto Papæ reservatæ in Religiosos præsumentes matrimonia solemnizare sine parochi licentia, moderata est sess. 24. c. 1. de reform. matrim. infligente pœnam tantum suspensionis ipso facto pariter incurrendæ, duraturæ arbitrio Ordinarii illius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat. Thesaur. de pœn. verb. *Matrimonium* c. 1. etiam ex responso Cong. Conc.

IN EXTRAVAG. COMMUN.

171. Decretalis Benedicti XI. relatæ in cap. *Inter cunctas* 1. concedentis §. *Ideoque* Fratribus Prædicatorum et Minorum facultatem ubique prædicandi verbum Dei absque Ordinarium petita licentia, abrogata est sess. 5. c. 2. et sess. 24. c. 4. de refor. præcipiente, ne ullus regularis prædicare præsumat etiam in Ecclesia sui Ordinis contradicente Episcopo.

172. Eadem Decretalis concedens §. *Sed quia* facultatem iisdem Regularibus audiendi sæcularium confessiones sine Ordinarium approbatione, abrogata est pariter sess. 23. c. 15. de refor. statuente, ne ullus Presbyter etiam regularis eas audire possit, etiam si agatur de audienda Sacerdotum confessione sine eorundem Ordinarium approbatione, qui possunt, si velint, illum examinare.

173. Decretali Eug. IV. relatæ in cap. *Divina* 3. eximentis ab Ordinarium jurisdictione Clericos curiales beneficiatos, infligentique pœnas ipso facto incurrendas Papæ reservatas excommunicationis, suspensionis et interdicti contra eosdem Ordinarios privantes beneficio dictos Clericos aut se immiscentes in causis beneficiorum eorundem, derogatum est sess. 24. c. 11. de reform. decernente privilegia, quæ competere solent residentibus in Curia Romana in vim hujus Eugenianæ constitutionis non habere locum in obtinentibus beneficia ecclesiastica, quin ipsorum Ordinarium jurisdictioni subjecti remaneant; nec insuper habere locum in parochis non residentibus: sess. 23. c. 1. de refor.

TIT. XXXVII.—DE PœNIS.

174. Decretalis Alex. III. relatæ in c. *Licet* 3. tribuentis facultatem Archidiacono procedendi in causis criminalibus tam contra Clericos, quàm contra laicos, abrogata est, ut supra n. 35.

IN SEXTO.

175. Decretalis Bonif. VIII. relatæ in cap. *Degradatio* 2. præscribens verbalem degradationem sacerdotis fieri debere coràm proprio et sex aliis Episcopis: Diaconi verò vel Subdiaconi coràm tribus Episcopis et proprio, et degradationem constitutorum in minoribus coràm solo Episcopo, moderata est sess. 13. c. 4. de reform. restringente numerum Episcoporum in degradatione actuali et solemnè ad solum proprium Episcopum coràm sex Abbatibus usum mitræ et baculi ex apo-

stolico privilegio habentibus, si commodè interesse possint: sin minus coràm aliis in ecclesiastica dignitate constitutis. In degradatione verò verbali etiam coràm ejus Vicario.

IN CLEMENTINIS.

176. Decretalis Clem. V. relata in cap. *Capietes* 3. statuentis, ut Regulares juxta cap. unic. *Cùm ex eo de excess. Prælat. in 6.* sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ nequeant nova loca recipere sine speciali Sedis apostol. licentia, moderata est sess. 25. c. 3. de Regul. decernente, ne hujusmodi loca erigantur sine licentia Episcopi diocesanî.

157. Idem statuitur à Gregor. X. cap. *Religionum*, §. *Confirmatos* de Relig. domib. in 6; sed vide notata Elencho I. n. 64.

TIT. XXXVIII.—DE PCENIT. ET REMIS.

178. Decretalis relata in cap. *Manifesta* 1. præcipientis dandam esse publicam pœnitentiam pro peccato manifesto, moderata est sess. 24. c. 8. de reform. remittente arbitrio Episcopi eam commutandi in secretam, si ita magis judicaverit expedire. An autem tam simplices confessarii, quàm principales Episcoporum pœnitentiarii possint hanc pœnitentiam injungere, Cong. Conc. 22. Martii 1614. fuit potiùs pro negativa sententia: quamvis tutius censuerit abstinere ab hujus dubii resolutione.

179. Decretalis Innoc. III. relata in cap. *Omnis utriusque sexus* 12. statuentis, ut sacerdos alienus audire possit confessiones de licentia proprii sacerdotis, si agatur de licentia data à proprio paroco, abrogata est, ut suprâ n. 172.

180. Decretali ejusdem relata in cap. *Cùm ex eo* 14. admittenti quæstores eleemosynarum, ut suprâ n. 167. derogatum est, ut ibi.

IN SEXTO.

181. Decretalis Innoc. IV. relata in c. *Romana* 1. idem admittentis, abrogata est, ut suprâ.

IN CLEMENTINIS.

182. Decretalis Clemen. V. relata in cap. *Abusionibus* 2. idem admittentis, abrogata est, ut suprâ.

TIT. XXXIX.—DE SENT. EXCOMM.

183. Decretali Innoc. III. relata in cap. *Contingit* 45. statuenti, Clericum non reassumentem habitum et tonsuram post tertiam monitionem amittere privilegium Clericale, partim derogatum est, et partim ampliata sess. 23. c. 6. de reform. declarante, Clericos in minoribus non beneficiatos non gaudere privilegio fori, si præter habitum et tonsuram non inserviant alicui Ecclesiæ. Nec ad hoc requiritur trina monitio ex decreto Congreg. Conc. relato à Fagn. in cap. *Si quis* 1. de foro compet. n. 21.

184. Decretalis ejusdem relata in cap. *Sacro* 48. statuentis excommunicationem ferri debere, præmissa trina monitione, vel una pro

omnibus cum aliquot dierum intervallis ex manifesta et rationabili causa, nulla facta distinctione causarum, moderata est sess. 25. c. 3. de reform. præcipientes:—1.º Ne in causis civilibus feratur, nisi quando adest contra Judicem contumacia.—2.º Neque in criminalibus, nisi præter contumaciam, delicti qualitas id postulet.—3.º Ut in utroque feratur tantùm in subsidium, quando scilicet exequutio personalis vel realis facilè haberi nequeat.—4.º Ut sufficiat bina monitio, etiam per solum edictum sine personali citatione. Ceterùm excommunicatio lata, hac forma non servata, ex sententia Cong. Conc. teste Fagnan. hoc eod. cap. n. 26. valida esset.

IN SEXTO.

195. Decretali Greg. X. relata in cap. *Constitutionem* 9. idem generaliter statuenti derogatum est, ut suprâ.

TIT. XL.—DE VERBOR. SIGNIFICATIONE.

186. Decretali Innoc. III. relata in cap. *Olim* 16. statuenti Canonicis gaudentibus privilegio percipiendi fructus in absentia deberi sine diminutione distributiones quotidianas quando redditus omnes præbendarum consistunt in dictis distributionibus, derogatum est, ut suprâ n. 161.